



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...**

Libris Quatuor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conuersione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1670**

36. Ars & acus nautica.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10757**

36.  
Ars & acus  
nautica.

historiis insularum quas Sinarum reges cum essent bellicosi suo imperio addidere, fuisse nauticam in summo pretio & laude apud Sinas, & si, quod magnete eximio abundant, verè ab auctoribus scribuntur, gnomonis ventorum fuisse Architecti, multum iis deberi ab omni humano genere; sed hoc satis qui prober, vel coniiendum saltem prudentibus præbeat reperio neminem; nam quod Marcus Polus nobilis Venetus ab Sinis potuisse ad nos acum magneticam deferri utcumque indicat, delatam fuisse nequaquam, imo ne quidem potuisse, si rectè anni subducantur. Albertus Magnus & ante Albertum, Vincentius Bellouacensis magnetis illius meminerant, multo prius quam Polus è Sinis & Haiton Armenus & B. Odericus rediissent, & profert vterque fragmentum scriptoris veteris quem putant non alium ab Aristotele, quamais Arabem magis quam Græcum innuant verba quædam, textui illius reliquiis permixta, cuiuscumque porro is fuerit, certò necesse est Poli ad Sinas Haitonis & Oderici navigationem sæculis aliquot præuertisse. Ac magnetem fuisse nec ignotum Sinensibus, nec inusitatum ab annis bis mille septingentis (forte alios in vsus quam nauticos) mihi propemodum persuadet quod lego apud Antonium Goueam, in chronico vbi ab vltimis retro temporibus annos Sinensium legens; sexto inquit, anno Cini Vani, vnus ex primis regibus quos centum supra mille annos ante Christum ea familia protulit ex Nanchiao, quod & Chiaocum, dicebatur, hodie Cocincina, legati ad eum venerant, hos rebus confectis & iam in procinctu ad iterandum iter, vehementer angebat metus à recto aberrandi; quod vbi comperit Cens Cunus, Mathematicus insignis, summa præfectura, & prudentia clarus, iubens esse viæ suæ securos imposuit curru, in quo statuam locarat ligneam, protensum indicem nunquam australi ab linea moturam; quod erat ipsorum rectum iter, sic rutos & alacres ab aula dimisit, quod arte alia potuisse præstari non capio nisi beneficio magnetis, hinc boream, hinc austrum perpetuo spectantis.

37.  
Typogr. Sin.  
typi, literæ  
criptio, car.  
ra.

Typographiam item Sinensibus fuisse perantiquam cum viris doctissimis facile sentio, alij medio post Christum sæculo, illic ortam volunt alij sæculis ante ipsum multis; inde vero ad nos propagatam diuinant prope omnes, & magis cupiunt quam certis iudicent & probent argumentis.

Fiet id clarius si (quod necesse est) illorum sermo & scriptio quam distet à nostris ostendero. Primum ergo alphabeto carent, nec animi sensa iunctis inter se in syllabas literis, collectis in verba syllabis exponunt: character illorum quilibet, vox vna est, rem vnam integrè exprimens, vt solent Astrologi planetas, Chymici artis suæ repræsentare materiam, & distinctas operationes, quare tot sunt Sinarum necessariò literæ, quot voces; septuaginta millia quidam censent, alij octoginta, quamuis ad vulgarem legendi peritiam & scribendi, negent vltra decies mille sciri oportere, tametsi autem tot harum literarum non sit